



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 1. De errore invalidante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

ART. IV. De Obligatione Confessarii errores commissos corrigendi.

101

rat, vel ad profectum spiritualem, cum peculiariter egere censebuntur.

ARTICULUS IV.

*De obligatione Confessarii errores suos
in Confessionibus audiendis commis-
sos corrigendi.*

174. Ad rectè atque utiliter Confessarii munus obeundum, maximo adjumento esse potest datum à S. Francisco Xavero, & lib. 6. vitæ cap. 17. infine descriptum monitum, ut Confessarii nimis post auditas à se confessiones sumpto spatio in easdem inquirant, & intentius videant, an & quid in delictis aliorum expiandi ipsi deliquerint, ut quæ in alienis peccârunt, confessionibus postea expient in suis; ea que delicta non tantum in posterum vitare; sed etiam, quod addendum est, commissos errores, si adhuc possint & debeant in iisdem corrigi, magnâ studeant corriger diligentiâ.

Possunt autem errores intervenire varii, qui omnes ad tres classes communiter à DD. reduci solent. Nam 1. aliqui sunt, per quos Sacramentum redditur irritum; cum Confessarius vel omnino non absolvit, vel invalidè. 2. Aliqui sunt, per quos damnum infertur tertio, vel pœnitenti; quando Confessarius hunc ad restitutionem non obligat, cum deberet; vel obligat, cum non deberet. 3. Aliquis sunt, per quos integritas tantum confessionis lœditur; cum Confessarius de numero tantum, aut specie peccatorum non inquirit, vel pœnitentiam seu satisfactionem non prescribit, aut deberet. Hujusmodi porrò errorem committere potest Confessarius, vel cum peccato mortali & ex malitia, vel sine peccato mortali

ex sola oblivione, ignorantiâ moraliter inculpabili. De quibus jam ordine

. §. I.

De errore invalidante.

175. Itaque I. Si Confessarius à censura tantum non absolvit pœnitentem, tunc quando errorem advertit, & si quidem fuit reservata, etiam facultatem obtinuit, debet postea absolvere, ne diutius privatus sit suffragis Ecclesiae. Potest autem etiam absentem, & jam iterum lapsum in peccatum aliquod mortale absolvere ab lique ulla alia monitione; quia à Censuris potest aliquis etiam absens, in mortali constitutus, ignorans, in dñe & invitus absolvit. Bonac. tom. 1. Diff. 5. q. 7. p. 6. n. 1. Coninch. de Sacram. Diff. 8. n. 14. 1. & alii committunt.

Aliud est de solutione à peccatis. De eo ergo, qui aliquem vel omnino non absolvit à peccatis, vel tantum invalidè, statuant DD. communiter sequentia. I. Confessarius si non multò post advertat, cum pœnitens adhuc est, vel non multò post iterum fit moraliter præsens v.g. in accessu ad Sacram Communionem, vel alibi, debet illum tunc absolvere; quia debet sacramentale Judicium, quod cæptum est, perficere; & pœnitenti jus suum per confessionem acquisitum ad solutionem & gratiam sanctificantem tribuere.

II. Idem est, si Confessarius errorem advertat, vel pœnitentem habeat sibi iterum moraliter præsentem post aliquot horas aut dies; modò non post tot, ut confessio & absolutio non censemant amplius facere unum totum morale. Neque necesse est pœnitentem præmonere de errore;

rore; quia sicut in primo, ita & in posteriore casu censetur voluntatem percipendi absolutionem tamdiu retinere. Potest ergo absolvit etiam inadvertenter, si nimis tacitè tantum, oretenus tamen & non sola mente, proferant sine omni externo ritu, hæc verba: *Absolvo te à peccatis tuis.*

III. Quodsi rationabiliter timeri potest, interea illum commisso novum peccatum mortale; tunc vel præmonendum est de errore, quia antequam etiam istud legitimè confiteatur, non potest à prioribus absolvit; cum unum mortale sine altero remitti non possit: vel si iterum ad confessionem apud eundem faciendam accedit, interrogandus est, an non etiam de omnibus aliis peccatis jam antea semel confessis doleat, & se accuseret: sicut multi solent piè & fructuosè facere. Si enim tunc annuat, hoc ipso jam priorum quoque peccatorum confessionem renovat, & repetit, potestque tam ab illis, quam ab aliis interea commissis, & recens confessis legitimè absolvit.

Alteruter iste modus etiam adhibendus est, si Confessarius aliquem absolvit, antequam habuit sufficientem, Jurisdictionem vel in pœnitentem, vel ob aliquam reservationem in ejus peccata. Ratio, quia cum tunc confessio fuerit facta Judicii non suo, hoc ipso non erat judicialis & strictè sacramentalis, ergo debet de novo fieri alterutro modo: sed posterior est commodissimus.

i76. Quodsi vero IV. pœnitens ad eundem Confessarium non redeat, nec reduci queat; monitio autem etiam fieri non possit sine gravi scando & offensione pœnitente: si, vel sine gravi confusione

aut damno Confessarii in honore, famâ (uti communiter fieri nequit, si tempus paulò longius intercessit) tunc Confessarius non amplius tenetur pœnitentem monere, neque etiam potest monitione omisso eum absolvere, si ob longioris temporis intervallum absolutio cum præterita confessione non potest facere moraliter unum totum, vel si prudenter timeri possit, eum interea iterum graviter pœnalis, ut paulò ante dictum. In hoc ergo casu, nisi pœnitens sit moribundus, Confessarius rem totam relinquat & commendet DEO; de suo autem peccato, si quod hic fortè commisit, doleat & proximè confiteatur. Fraudavit quidem Confessarius pœnitentem gratiâ Sacramenti; dedit quoque causam, ut pœnitens de illis peccatis deinceps non amplius se accuseret, adeoque contralem DEI, quamvis ex errore inculpabili, non integrè confiteatur. Sed damnum gratiæ, quia Confessarius commodè non potest, ut ponitur; ideo etiam non tenetur resarcire, præterquam quod neque pœnitens videatur admodum hoc exigere, cum ipse facilè possit id aliunde supplere. Ab obligatione servandi integritatem materialē confessionis sicut pœnitentem; ita & Confessarium ab obligatione eandem procurandi excusare potest scandalum, offensa, damnum &c. Quæ omnia confirmantur ex eo, quod etiam in rebus temporalibus nemo teneatur damnum, culpabiliter quoque illatum, compensare, si non possit sine sui delicti manifestatione & infamacione; vel si Iesus non admodum exigat. Dixi autem huc signatè: *nisi pœnitens sit moribundus.*

i77. Nam V. Qui moribundum, au-

ditiâ

ditâ ejus confessione, non absolvit, vel non validè (sive jam culpabiliter, sive inculpabiliter) debet illum adhuc absolvere: & si à priore confessione tantum temporis effluxit, ut absolutio non amplius possit cum illa facere unum aliquod torum morale; vel si dubium est, annon æger interea iterum peccaverit graviter, tunc Confessarius etiam cum aliquo gravi suo incommodo, v. g. confusione, dedecore &c. tenetur illum præmonere; quia ita exigit extrema necessitas, & periculum salutis æternæ, in quo tunc æger versatur, & cui Confessarius debet damnum suæ v. g. famæ postponere, maximè si culpabiliter egit. Nisi tamen æger fuisset antea confessus tantum mea venialia; vel aliquod quidem mortale (sive jam certum, sive tantum dubium) sed jam suscepisset postea adhuc aliud Sacramentum v. g. Eucharistie, vel Extremæ Unctionis. Nam in his circumstantiis consultum quidem est, adhuc præmonere pœnitentem & absolvere; nulla tamen obligatio saltem sub mortali; quia in iis jam desinit necessitas, cum per alind eisdemodi Sacramentum ex attrito, qualis etiam ad absolutionem validam esse debebat, factus sit contritus. Vide de his à n. 175. dictis Bonac. & Coninc. ll. cc. Palao tr. 23. Disp. un. p. 18. §. 2. n. 3. & 4. Lugo de pœnit. Disp. 22. à n. 51. Tamb. de Confess. lib. 3. cap. 8. §. 4. n. 3. Dicast. de pœnit. Disp. 10. à n. 501. multa hic tricantem.

§. II.

De errore damnificante.

178. II. Confessarius, qui dixit pœ. R. P. Sto. Trib. Pœnit. Lib. II.

nitenti, illum non esse obligatum v. g. ad restitutionem, cum esset; vel esse obligatum, cum non esset; si id facit cum peccato mortali, tenetur ex Justitia rebus adhuc integris monere pœnitentem. Si unque dictū revocare; vel certè ipse debet ex Justitia compensare damnum inde tertio, vel pœnitenti illatum. Ratio est, quia suo dicto fuit moralis & positiva causa damni; sicut aliis, qui jubet aut consilii alicui, ut faciat, quod ipsi vel alterius est damnosum. Quodsi tale quid dixit bona fide & absque mortali, tunc si comodè adhuc potest, teneatur etiam ex Justitia revocare suum dictum; quia quilibet, si advertit ex sua aliquā actione oriatur, alteri aliquod damnum, & comodè potest impedire, obligatus est ex Justitia, ut impedit; & si non impedit, hoc ipso damnificatio, et si antè non fuerit prævisa nec intenta, incipit tamen ex tunc esse voluntaria, imputaturque illi in peccatum Injustitiae, Lugo cit. Diff. 22. à n. 60. atque ita in praxi esse sequendum & omnino consulendum, fatetur etiam Dicast. cit. Diff. 10. n. 519. quamvis ipse ibid. putet, probabiliter hīc peccati tantum contra charitatem, & non contra Justitiam; sed sufficienter id non probat.

At vero si Confessarius se habeat tantum negativè, non dirigendo pœnitentem, qui purat, se non esse obligatum, cum sit, vel le esse obligatum, cum non sit; tunc videndum est, an pœnitens ab illa Confessarii omissione & silentio moveatur, ad aliquid in suum vel alterius damnum agendum, vel non moveatur. Si non moveatur, Confessarius ad nihil aliud tenetur, quam ut de peccato, si

O

quod